

nostra scientia & animo deliberato fecimus, constituimus, ordinavimus & deputavimus, & tenore presentium facimus, constituimus, ordinamus, & deputamus nostros veros certos & indubitatos Procuratores, & negotiorum nostrorum infra scriptorum gestores, Nuncios, speciales & generales Videlicet Nobiles, & honorabiles fideles devotum nobis dilectos Guilhelmum de Rogendorff Baronem de Moltenburg, Magistrum nostrum Curiae, Sigismundum de Dietrichstein Baronem de Hollenburg & Finckenstein, & Sebastianum sperantium Praepositum Brinxinensem simul & quemlibet eorum in solidum specialiter & expresse nostro nomine ad hujusmodi matrimonium cum praefata Serenissima Domina Anna per verba de presenti aut alio quocunque modo iterum & de novo contrahendum, concludendum, renovandum, ratificandum, confirmandum & finiendum & generaliter omnia & quaecumque alia faciendum, tractandum & promittendum quae pro asservatione ipsius Matrimonij quomodolibet necessaria & oportuna fuerint, & quae Nos ipsi faceremus, & facere possemus, si personaliter praesentes essemus, etiam si talia forent, quae mandato indigerent magis speciali quam praesentibus est expressum, quae omnia hic pro expressis habere volumus, & si necesse fuerit super praemissis quodlibet licitum Juramentum in animam nostram praestandam, Promittentes in verbo, & fide boni & veracis Principis nos perpetuo, ratum gratum, & firmum habituros omne id & quicquid per Praefatos Oratores, Procuratores & Mandatarios Nostros circa praemissa & quodlibet praemissorum tractatum, actum, gestum, promissum, dictum Juratum & conclusum fuerit. Nec illis ullo unquam tempore contraveniuros in quorum omnium testimonio his apponi; Sigillum nostrum fecimus, Datum in oppido Bruxellensi die decima septima Mensis Novembris Anno Domini Millesimo quingentesimo Vigesimo. Ferdinandus. Tractatus vero vigore cujus ipsa Imperialis & Catholica Majestas hos suos Oratores, Procuratores & Mandatarios ad sic ut sequitur contrahendum & consentiendum misit nobis Notariis infra scriptis, in hac parte exhibitus sic incipit, Carolus Quintus Divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator semper Augustus &c. Datum & actum in civitate nostra Colonia die septima Mensis Novembris Anno Domini Millesimo quingentesimo Vigesimo, Regnorum Nostrorum Romani & electionis Imperij Secundo, Aliorum vero omnium quinto. Sic subscriptum Carolus in Rubrica ad mandatum Caesareae & Catholicae Majestatis manu propria Hannart. Quo quidem mandato Domini Ferdinandi tunc publicae lecto, Idem Domini Oratores, Procuratores & Mandatarij verbis ad praememoratum Dominum Abbatem in Wiltan directis rogarunt ut Paternitas sua ipsam Serenissimam Dominam Annam interrogaret an Sermonem & verba ipsorum Dominorum intellexisset, ac pro sua persona priorem contractum inter Serenissimum Dominum Don Ferdinandum Infantem Hispaniarum & Archiducem Austriae praefatum & ipsam Dominam initum & celebratum sic, ut praelictum foret, ratum, gratum firmumque tenere & ad tollendam omnem ambiguitatem matrimonium per verba de presenti cum eodem Domino Don Ferdinando medio ipsorum Dominorum Oratorum, Procuratorum & Mandatariorum contrahere vellet, ac libere consentiret, quo quidem Domino Abbate, sic ut praemittitur interrogante, cum ipsa Serenissima Domina Anna clara & intelligibili voce respondisset, sese ut per ipsos Dominos Oratores, Procuratores & Mandatarios petitum esset, ipsaque interrogata foret intellexisse, ratificare & consentire, Insuper Oratoribus Procuratoribus & Mandatariis dicti Domini Regis Hungariae vice Principalis sui sese vigore mandatorum suorum quae postea lecta fuerunt, consentire asserentibus, praefatus Dominus Abbas apprehensa manu dextera Domini Guilhelmi de Rogendorff & dexterae manu ipsius Serenissimae Dominae Annae copulata dixit in vulgari Germanica lingua in hanc praecise Sententiam, Domine Guilhelme de Rogendorff Domine de Dietrichstein Domine Praeposite accipitis Domino Ferdinando Infanti Hispaniarum.